



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

VI. Vtrum attributa Dei rectè diuidantur in negatiua, & positiua?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

ad esse, & defectus necessitatis existendi; est prædicatum propriè negatiuum, de quo dubitari non potest: ita in Deo aseitias, & sufficientia, ex se præcisè, ad esse, atque necessitas existendi, illi deuincta sunt prædicatum procul dubio positium, uti apparebit clariùs in quæstione sequenti; Ideòque est idoneum ad explicandum, quid sit res. Damascenus satis apertè suffragatur nostræ sententiæ in illo capite, solùmque præterea contendit, Deum cognosci à nobis melius, & clariùs per conceptus apprehendentes prædicata positia ipsius, ad modum negationis excludentis imperfectiones creatas. Quia de causa aseitias etiam Dei communiter exprimitur per negationem dependentiæ ab alio. Quod nihil nocet veritati rei significatæ, ut explicatiùs apparebit in eadem quæstione sequenti.



QVÆSTIO VI.

Vtrum attributa Dei recte diuidentur in negatiua, & positiua?



VIDENTUR non rectè diuidi. Quia sicuti multiplicitas realis perfectionum, saltem simpliciter simplicium, est coniuncta essentialiter cum reali earum imperfectione, ut dictum est q. 4. ita multiplicitas rationis est coniuncta cum imperfectione rationis. In Deo autem, nec etiam ratione nostra, datur vlla imperfectio. Nulla porro diuisio vllibi dari potest absque aliqua multiplicitate. Nullus igitur est locus diuisioni, etiam rationis in Deo.

1. Omnis negatio ex suo conceptu est exclusio, & defectus alicuius esse. In Deo autem nulla est exclusio, nullusque defectus vllius esse. Quia Deus est pelagus infinitum, ac interminatum totius esse, atque perfecta essendi plenitudo, ut dicetur, ex Scriptura, & PP. quæstione sequenti. Nulla igitur est vera negatio in Deo; ac proinde nulla ipsi conueniunt attributa negatiua.

2. Qualibet negatio præsupponit aliquid positium. Quia omnis negatio fundatur in aliqua affirmatione vera vel imaginata, ut docet D. Thomas quæst. 2. de malo art. 1. ad 9. & alibi non semel; ideòque affirmatio naturaliter est prior negatione, at idem docet 2. 2. q. 122. art. 2. ad 1. Ergo diuisio attributorum Dei debet potius fieri in positiua, & negatiua, quàm in conuerso.

3. Si quæ admittatur diuisio attributorum in Deo; sequitur admittendas esse infinitas in eodem diuisiones. Quia diuisiones reales possibiles creaturarum, adinstar, & per species quarum, & non aliter, fieri potest in Deo aliqua diuisio, sunt infinitæ. Infinitas autem diuisionum, etiam rationis, parit confusionem, & est absurda.

4. Admissis in Deo attributis aliquantulum diuersis, admittenda quoque forent aliquantulum inæqualia. Quia obiecta creata, quorum mutua inter se diuersitas est vnica causa diuersitatis nostrorum conceptuum circa Deum, habent diuersitatem, & dissimilitudinem mutuam, coniunctam essentialiter cum inæqualitate; atque ideò facere non possunt,

ut Deus appareat intellectui nostro veluti alius, atque alius, cum quadam respectu sui, diuersitate, quin simul appareat veluti magis, & minùs perfectus, cum quadam, respectu sui, inæqualitate. Sequela autem est absurda. Quia omnia diuina, quatenus diuina, sunt æqualia, etiam ratione nostra, propter infinitatem, & summitatem diuinitatis incluse formaliter in omnibus Deis.

Art. 1. Respondetur. Ex præmissis in quæstione præcedenti liquet clarè dari in Deo multiplicitem, seu diuersitatem prædicatorum distinctorum ratione nostra, iuxta diuersitatem, ac multiplicitem realem creaturarum. Indidem rursus constat inter eiusmodi prædicata, ea dici attributa, quibus assimilantur accidentia creata, aut quæ significantur terminis connotatiuis. Istorum attributorum diuisiones obseruantur à Theologis pro methodo doctrinæ de Deo idoneè ordinanda. Quam in rem præcipua, & apud omnes prima diuisio est in attributa positiua, & negatiua, utpotè primò diuidentia intelligibile ut sic, seu correspondentia immediatè primæ eius diuisioni.

Art. 2. Pro intelligentia huius diuisionis circa Deum, obseruanda est duplex distinctio negationum; nempe negationis secundum dici, & secundum esse obiectum; & rursus negationis puræ, & mixtæ. Negatio pura est, quæ ita excludit aliquid positium, ut nihil simul includat positium, aut ex parte termini negati, aut ex parte subiecti de quo dicitur. Negatio non pura, seu mixta est, quæ simul includit aliquod positium. Exemplum secundæ negationis sunt cæcitas, tenebræ, & distinctio rei à re; Primæ verò negationis exemplum est negatio existentia, aut possibilitatis rei alicuius prout est prædicabilis de ipsa seu existentia, seu possibilitate. Negatio secundum esse obiectum est vtralibet ex dictis negationibus, prout sunt à parte rei. Negatio secundum dici tantum est apprehensio, & expressio prædicati positiui ad modum alterutius ex dictis negationibus realibus; ut cum dicitur de aliquo non esse cæcum; non esse insipientem; non esse ægrotum; in quibus propositionibus prædicatum ex parte obiecti est re ipsa positium; & propterea propositiones sunt affirmatiuæ ex parte rei significatæ, quatenus duæ negationes affirmant.

Art. 3. In Deo nulla datur pura negatio secundum esse obiectum. Ex parte quidem subiecti. Quia Deo necessariò inest omne purum esse, seu omnis gradus essendi penitus expers imperfectionis. Ex parte verò termini à se distincti, sibi quæ extrinseci. Quia Deus per sua prædicata necessaria, de quibus solus est sermo, solas à se excludit formaliter imperfectiones creaturarum, & puras negationes aliarum in aliis creaturis mutuo fundatas. Ex iis autem, quæ sunt puræ negationes, excluduntur per prædicata purè positiua, ut patet. Imperfectiones verò utpotè indistinctæ à perfectionibus creaturarum, non excluduntur per puras, sed per mixtas negationes. Quarum nimirum ratione negantur de Deo perfectiones creatæ prout contractæ ad ipsas creaturas ideòque prout coniunctæ cum imperfectionibus earundem; id est, cum negationibus vltioris perfectionis absolute possibilis. Solæ itaque mixtæ huiusmodi negationes dantur in Deo ratione deitatis re ipsa, & secundum esse obiectum. Hæc videtur esse intentio Dionysij dicentis cap. 4. & 12. de diu. nom. & cap. 2. Cælest. Hier. Non sic aliqua negari de Deo, quasi omnino ei desint; sed quia non eodem modo ei conueniunt, sicut, & nobis.

Art. 4. Iam negationes secundum dici tot dantur in Deo, sicut & in rebus creatis, quot in vniuersis

que

que dantur praedicata positiva. Quia omnia, & singula talia possunt significari ad modum negationum, duplicando voces negativas; ut si a seitas dicatur non insufficientia ex se praecise ad esse; omnipotentia non impotentia ad quidquam absolute possibile. Praedicata Dei positiva, quatenus sic significata negatiue, non numerantur communiter inter attributa negativa. Quia est modus significandi innaturalis, & per accidens. Praedicata vero Dei, quatenus concepta relate ad imperfectiones creatas conceptu formaliter, & explicitè exclusiuo ipsarum, dicuntur proprie attributa negativa; sicut dicuntur positiva, quatenus concipiuntur relate ad perfectiones creatas conceptu formaliter, & explicitè inclusiuo ipsarum.

Art. 5. Vtriusque generis conceptus sunt in nobis multiplices respectu Dei, intra tamen numerum determinatum. Sunt quidem multiplices. Quia, cum omnis cognitio creata de Deo sit inadæquata, ac insufficientis; & quæ habetur in via, habeatur mediantibus creaturis, quæ non possunt omnes, sub vnum simul conceptum, distinctè venire; & quæ sunt inuicem diuersæ pariant diuersas inuicem manifestationes Dei: opus est, vt multiplicatis diuersis diuersarum rerum conceptibus, defectum, ac insufficientiam singulorum vtrumque suppleamus circa Deum; atque variis hinc inde scintillis in vnum coniectis excitemus in nobis diuinitatis fulgorem, licet semper nimis tennem, aliquatenus tamen magis conspicuum, ac hilarem, seu potius minus tenebrosam, minusque miseram. Sunt vero intra numerum determinatum, eumque non valde magnum, quia perfectiones, & imperfectiones creaturarum nobis notæ, atque inter se diuersæ, sunt finitæ; & quæ possunt excitare in nobis cognitiones de Deo discernibiliter, ac notabiliter diuersas, rediguntur ad paucas admodum classes. Quæ de causa omnia praedicata Dei rediguntur communiter à Theologis ad paucas attributa; (seu vt loquuntur antiquiores, praesertim Sancti PP. nomina,) tùm positiva, tùm negativa.

Art. 6. Attributis negativis notificatur Deus per remotionem, ac elongationem à creaturis, quatenus imperfectis. Attributis vero positivis notificatur idem per assimilationem, & conuenientiam cum iisdem, quatenus praedictis aliqua perfectione. Quia autem imperfectio creaturarum, atque elongatio, & distantia à Deo, est infinite maior, ideoque notior, & magis conspicua, quam ipsarum perfectio, atque similitudo, & conuenientia cum Deo; propterea attributa Dei negativa sunt notiora, & consequenter priora ratione quoad nos, quam attributa positiva; licet, loquendo per se, & respectu intellectus perfecti, aut perfectè dispositi, sit prius in vnoquoque positivum, quam negatiuum. Quæ est intentio D. Thomæ loco indicato in secundo argumento.

Art. 7. Eodem modo apparet nobis magis perfectio Dei, estque proinde Deus perfectior, ratione nostra, constituitque attributum similiter perfectius, quatenus concipitur relate, vel ad maiorem perfectionem creaturæ per affirmationem, vel ad imperfectiones minores per negationem, vti supra notatum iterum fuit. Verum illiusmodi inaequalitas, & maior, ac minor perfectio attributorum Dei, eorundemque partitio, ac multiplicitas ex modo concipiendi: nullam dicit, aut imperfectionem rationis ex parte Dei, aut falsitatem simpliciter in intellectu nostro. Quia fundatur in natura rerum creaturarum, & in imperfectione nostri intellectus, dependentis quidem ab illis circa Deum, non tamen propterea iustificantis talem esse Deum in se, qualis est modus no-

ster cognoscendi ipsum; sed potius id omnino negantis. Ex his omnibus patet satis ad obiecta; & constat idoneè diuidi attributa Dei in negativa: & positiva.

Art. 8. De doctrina usque adeo breuiter tradita in hac quaestione videri plura possunt in eius confirmationem apud Dionysium praesertim cap. 7. de diu. nom. antequam, vbi eadem praedicata significat positivè, & negativè, affirmat, & negat de Deo, ob diuersum vtiq; connotationis modum superius explicatum, dicens inter alia: *Itaque in omnibus Deus cognoscitur, & sine omnibus scientiaque Deus cognoscitur, & ignorantia; estque eius & notitia, & ratio, & scientia, & tactus, & sensus, & opinio, & visio, & nomen, & cetera omnia; & neque intelligitur, neque dicitur, neque nominatur; neque etiam est aliquid eorum, quæ sunt, neque in quoquam eorum, quæ sunt, nascitur; Et in omnibus est omnia, atque nihil in quoquam; omnibusque ex omnibus cognoscitur, & ex vlla re nemini.* Eodem pertinet caput quintum de Myst. Theol.



QVÆSTIO VII.

Utrum solus Deus sit infinitus, & immensus?



IDEATUR non esse 1. Quia finitum, & infinitum sunt proprietates quantitatis, vt dicitur 1. Phyl. tex. 66. Vnde de ratione infiniti est, vt sit imperfectum, vtpotè constans partibus, & materia, vt dicitur 3. Phyl. tex. 15. Deo autem, neque conuenit quantitas, neque imperfectio vlla. Ergo nec infinitas.

2. Deus non esset immensus, seu infinitus secundum locum, si ita adesset alicubi, vt alibi non adesset. Ergo non est infinitus secundum esse. Patet consequentia; quia ita sibi conuenit aliquod esse, nempe quod est proprium, & peculiare ipsius: vt non conueniat aliud esse, nempe Angeli hominis, ligni &c.

3. Si Deus esset immensus, ideoque adesset vbique, cum simul sit omnino simplex, vt dictum est supra; sequeretur adesse adequatè idem tertio, quæ sunt inter se maxime distantia. Quod tamen est impossibile non secus, ac identificari adequatè eidem tertio, quæ distinguuntur inter se realiter.

4. Nullibi erat Deus, antequam quidquam faceret; neque modò est in spatiis, vti dicunt, imaginariis. Quia impossibile est esse in nihilo, seu sibi esse, vbi nihil est; ideoque nec locus ipse est, aut spatium vllum realiter. Deus autem nullus est capax mutationis. Ergo neque modò vllibi est, aut potest esse alicubi de nouo.

5. Virtus cuiusque rei proportionatur essentie eius, & virtuti effectus; Ergo repugnat Deum esse infinitum, & immensum; & non posse talem esse aliquem eius effectum; ergo neutrum est proprium, & peculiare ipsius.

Articul. 1. Respondetur. Constat Deum esse infinitum ex Psal. 144. *Magnitudinis eius non est finis.* Esse verò immensum colligitur ex Psal. 113. *Si ascendero in Cælum, Tu illic es. Si descendero in infernum, ades;* & ex 2. Paral. 26. & cap. 6. 18. *Si Cælum, & cæli cælorum capere eum nequeant: non te capiunt,* & in Simbolo Athanasij dicitur *Immensus Pater, &c.* Vtrique attributo accommodatur à Gila-